

Gid est, pares suos mortales agnoscant. Communice-  
 thesaurizent sibi fundamētum bonum in futurum.  
 Non enim quia dico, inquit, facile tribuant, comuni-  
 cent, expoliare illos volo, nudare illos volo, inanes  
 relinquere volo, Doceo lucrū, cum ostēdo quod the-  
 saurizent sibi. Nō enī volo vt pauperes remaneant.  
 Thesaurizent sibi, non vt perdant dico, sed quō mis-  
 grent ostendo. Thesaurizent sibi fundamētum bo-  
 num in futurum, vt apprehēdant verā vitam. Hęc  
 ergo falsa vita est, apprehendant veram vitam. Van-  
 itas enim vanitatum & omnia vanitas. Quæ abū-  
 dantia tanta hominis in omni labore suo, quo ipse  
 laborat sub sole? Apprehendenda est ergo vera vi-  
 ta, migrandæ sunt facultates nostræ ad locum verę  
 vitæ, vt hoc ibi inueniamus quod hic damus. Mus-  
 cat illa, q. mutat & nos. Date ergo pauperib⁹ fratres  
 mei, victum & tegumentū habētes his contenti si-  
 mus. Nihil diues habet de diuitijs suis, nisi quod ab  
 illo postulat pauper, victum & tegumentum. Hinc  
 tu quid plus habes ex omnibus quę habes? Accepi-  
 sti victū, accepisti necessariū tegumētum. Necessa-  
 rium dico, nō inane, nō superfluum. Quid plus de di-  
 uitijs tuis capis? Dic mihi. Certe omnia tua superflua  
 Herunt. Quę sunt tua superflua, sint pauperibus ne-  
 cessaria. Sed ego, inquit, preciosas epulas accipio, pre-  
 ciosis cibis velcor. Pauper quid? Vilibus. Vilibus  
 cibis vescitur pauper, ego, inquit, preciosis. Interro-  
 go vos quādo fueritis ambo satiati, preciosis cibis  
 ad te intrat: quid sit cū intraverit? Nōne si specula-  
 ria in ventre haberemus, de omnibus cibis preciosis  
 erubesceremus, quibus saturatus es? Esurit pauper,  
 esurit diues. Saturari querit pauper, saturari quærit  
 diues. Saturatur pauper de vilib⁹ cibis, saturatur di-  
 ues de preciosis cibis. Saturitas equalis est, possessio  
 vna est, quō ambo volunt peruenire. Sed ille per cō-  
 pēdiū peruenit, ille multū circuit. Sed meli⁹, inquit,  
 mihi sapiūt appaata preciosa. Vix fastidiosus satia-  
 ris. Necis quō sapit, quod fames accendit. Neq. ita  
 hoc dixi, vt diuites cogā epulis & cibis pauperū ves-  
 sci. Vtatur diuites cōsuetudine infirmitatis suę, sed  
 doleat aliter se non posse. Melius enī possent, si alie-  
 ter possent. Si ergo non extollitur pauper de medi-  
 citate, tu quare extolleris de infirmitate? Vtere ci-  
 bis electis, preciosis, quia sic consueisti, quia non alie-  
 ter potes, quia si cōsuetudinem mutas, ægrota. Cō-  
 ceditur tibi, vtere superfluis, da pauperibus necessa-  
 ria. Vtere preciosis, da pauperibus vilia. Expectat à  
 I te, expectas à deo. Expectat ille manum quę facta  
 est secum, expectas tu manum quę fecit te. Sed nō  
 solum te fecit, sed & pauperem tecum. Dedit vobis  
 vnā viam istā vitam. Inuenistis vos comites, vnā  
 viam ambulatis. Ille nihil portat, tu nimium onera-  
 tus es. Ille nihil secū portat, tu interim plus portas q̃  
 opus est. Oneratus es, da illi de eo quod habes, & il-  
 lum pascis, & pondus minuis. Date ergo pauperib⁹,  
 rogo, moneo, præcipio, iubeo. Quicquid vultis da-  
 te pauperibus. Nō enim occultabo charitati vestrę,  
 quare huic sermonem necesse habui vobis promere.  
 Ex quo hic sumus eites ad ecclesiā & redeūtes, pau-  
 peres interpellant nos, & dicūt vt dicamus vobis vt  
 aliquid accipiāt à vobis. Nos mouerūt loqui vobis,  
 & cū se vidēt nō accipere à vobis, inaniter arbitrant⁹  
 nos laborare in vobis. Expectāt & aliquid à nobis.  
 Damus quantum habemus, damus sicut possumus.  
 Nunquid tamen ad eorum necessitatem implēdam⁹  
 idōei sumus? Quia ergo ad eorū necessitatem im-  
 plēdam⁹ idōei non sumus, vel ad vos legati ipsorū  
 sumus. Audistis, laudastis, deo gratias. Semē acce-  
 pistis, verba reddidistis. Laudes istæ vestrę grauāt  
 nos potius & in periculum mittūt. Toleramus illas  
 & tremimus inter illas. Tamen fratres mei istæ lau-  
 des vestrę folia sunt arborum, fructus quæritur,

De puero Centurionis & verbis eius indignum K  
 se præsentia domini iudicantis, in Euangelio se-  
 cundum euēdem: Sermo VI.



Vdiuimus cum Euangelium legeretur, fidem nostram in humilitate laudari. Ad domum quippe Centurionis cū se promit-  
 teret dominus Iesus iturum vt puerum ei⁹

sanaret, ille respondit. Non sum dignus vt sub te-  
 ctum meum intres, sed tantum dic verbo & sanabia-  
 tur. Dicendo se indignum, præstitit dignum, nō in  
 cuius parietes, sed in cui⁹ cor Christus intraret. Ne-  
 que hoc diceret cum tanta fide & humilitate, nisi ita  
 illum quem timebat intrare domum suam corde ge-  
 staret. Nā non erat magna felicitas, si dominus Ie-  
 sus intraret in parietes eius, & non esset in pectore  
 eius. Magister quippe humilitatis & verbo & exē-  
 plo, discubuit & in domo cuiusdam Pharisei superbi,  
 nomine Simonis. Et cū in domo recuberet, non erat  
 in corde eius vbi caput fili⁹ hominis reclinaret. Ita  
 enim quendam superbum quantum intelligitur ex  
 verbis ipsius domini, vltro secū ire cupientē à suo di-  
 scipulatu reuocauit, Sequar te domine quocumq. ie-  
 ris. Et dominus in corde eius inuisibilia vidēs. Vul-  
 pes, inquit, foveas habent, & volatilia celi nidōs, fi-  
 lius autem hominis nō habet vbi caput suum reclina-  
 ret: hoc est, habitant in te infidiæ sicut vulpes, habita-  
 tat superbia sicut celi volatilia, filius autem homi-  
 nis simplex cōtra infidas, humilis contra superbiā,  
 nō habet vbi caput suum reclinat. Et ipsa reclinatio  
 capitis nō erectio, sed humilitatis magistra est. Re-  
 uocat ergo istū ire cupientē, trahit alterum recusā-  
 tem. Eodem quippe loco ait cuiādam, Sequere me.  
 Et ille, Sequar domine, sed sine me primō ire & se-  
 pelire patrem meum. Pie quidem excusauit, & ideo  
 dignior cui⁹ excusatio remoueretur, vocatio firma-  
 retur. Pium erat quod volebat facere, sed docuit ma-  
 gister quid debuisset præponere. Volebat enim cū  
 esse viui verbi predicatorum, ad faciendos victuos.  
 Erant autem alij per quos illa necessitas impleteret.  
 Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. Infide-  
 les cadauer quando sepeliunt, mortui mortuum se-  
 peliunt. Illius corpus animam perdidit, illorum ani-  
 ma deum. Sicut enim anima est vita corporis, sic vi-  
 ta animæ deus. Sicut expirat corpus cum animā  
 mittit, ita expirat anima cum deum amittit. Deus  
 amissus, mors animæ, anima emissa, mors corporis.  
 Mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria.  
 Discumbebat ergo dominus in domo cuiusdā Pha-  
 risei superbi. In domo eius erat, vt dixi, & in pecto-  
 re eius nō erat. In huius vero Centurionis domum  
 non intrauit, & pectus possedit. Zachæus vero do-  
 minum & domo suscepit & animo. Huius tamen fi-  
 des in humilitate laudatur. Dixit enim, Nō sum di-  
 gnus vt sub tectum meum intres. Et dominus,  
 Amen dico vobis, nō inueni tantā fidem in Israël,)  
 secundū carnem. Nā & iste iam Israëlites erat secu-  
 dum spiritū. Venerat dñs ad Israëlē carnalē, id est,  
 ad Iudæos, ibi primū quærere oues perditas, in quo  
 populo & de quo populo etiā corp⁹ assumpserat, nō  
 ibi inuenit tātā fidē, ipse dicit. Possumus nos me-  
 tiri fidem hominū sicut homines? Ille qui interiora  
 cernebat, ille quē nemo fallebat, perhibuit testimo-  
 nium cordis hoīs, audiēs verba humilitatis, pronū-  
 cians sententiā sanitatis. Vnde aut hoc presumpsit?  
 Et ego, inquit, homo sum sub potestate cōstitut⁹,  
 habēs sub me milites, & dico huic vade & vadit, &  
 alio veni & venit, & seruo meo fac hoc & facit. Po-  
 testas sui quibuscūq. sub me positus, sub potestate qua-  
 dā super me. Si ergo ego, inquit, homo sub potesta-  
 te, iubēdū habeo potestātē, quid tu possis cui omnes  
 seruiunt potestates? Erat autem iste de gentibus, e-  
 rat quippe centurio. Iā Iudæa gens habebat militē,  
 habebat